

augustus. Amplitudo imperialis magnificencie et bene de se merentibus copiosis largicionum¹ consuevit collacionibus et ad nostram propriam accedentes gratiam uberibus ac benigne clemencie nostre conciliare favoribus. Noverit itaque omnium celsitudinis nostre fidelium tam presens etas quam successura posteritas, quod nos una cum consorte nostra Constancia, illustri Romanorum imperatrice augusta, fidelium nostrorum in Benevento fidei sinceritatem ac devocionis clementer attendentes constanciam, amore quoque ac laudabili servicio dilecti nobis (!) Guilberti venerabilis abbatis sancte Sophie specialiter inducti, omnibus Beneventanis videlicet ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, clericis, laicis, locis et personis cuiuscunque condicionis, remittimus et in perpetuum condonamus omnes daciones que sub fidenciarum nomine continentur, ita ut nec ipse ecclesie nec monasteria, loca vel persone cuiuscunque condicionis, successores vel heredes seu homines quicunque, a nobis vel heredibus seu successoribus nostris vel a baiulis seu comitibus, baronibus seu militibus vel quibuscunque hominibus ullo unquam tempore requirantur aut molestentur, set omnia iam dicta loca vel persone aut heredes et successores ab hiis prestationibus, requisicionibus aut molestiis liberi maneant et immunes. Ad ampliorem quoque civitatis Beneventane favorem sancimus, ut possessiones que propter cessationem solucionis pretaxatarum prestationum seu dacionum quocumque tempore fuerint occupate, omni remoto excusacionis vel occasionis impedimento restituantur. Concedimus eciam omnibus supradictis locis et personis, ut per dimidiam dietam in circuitu Beneventi in domanio nostro pascua habent (!) et cedua ligna incident. Concessionem quoque de pascuis et lignis ceduis quas quidam barones predictis locis et personis fecerunt, eadem auctoritate et benivolencia ratas habemus et confirmamus, et si que morte alicuius baronum ad nos devoluta fuerint, eis similiter concedimus. Predicti autem cives Beneventani nullum inimicum nostrum recipient, qui nobis armis debeat guerram facere vel nos instrumentis bellicis impugnare. Que omnia ut rata et inconvulsa permaneant, presentem inde paginam conscribi et nostri nominis sigillo aureo iussimus communiri, precipientes ut huic benignitatis nostre constitutioni se nullus presumat opponere vel eam ausu temerario infringere. Qui contrafecerit magnitudinis nostre merebitur offensam et nomine pene mille libras auri purissimi componet, medietate fisco imperiali applicanda, altera medietate iniuriam passis persolvenda. Huius rei testes sunt Godofridus Aquilegensis patriarcha, Willelmus Ravennas archiepiscopus, Philippus Coloniensis archiepiscopus, Otto Frisingensis episcopus, Bonifacius Novariensis, Johannes

1) Fehlt wohl ein Infinitiv.